

16. e.
96, 17. b.

MEMORIAM
GEHLERIANAM, GERSDORFIANAM

ET

HILLIANAM

DIE XVII. DECEMBRIS MDCCCLV.

HORA IX

IN ATRIO CIVILI CURIAE NOVO A GYMNASIO CONCELEBRANDAM

INBICIT


ERN. AEMIL. STRUME,

GYMN. PROF. ET CORRECT. PH. D.



QUÆSTIUNCULA PRÆMITTITUR:

QUID SOCRATI PIUM VIDEATUR IN PLATONIS EUTHYPHRONE?



GORLICH.

TYPIS KOELERIANIS IMPRESSA.



9804
(1855)

In ipsa solennitate habebuntur orationes tres sermone patrio:
Primum ipse dicam de Platonis pietate, *qualem in primis e Phaedone cognoscamus.*

Dein prodibunt duo adolescentuli, quorum alter aspirans ad beneficium Hillianum ERN. FERD. MISCHNER Gros-Radiciensis, primae classis civis, *assiduo literarum studio quatenus adolescentuli se prohibeant a pravis libidinibus* dicet.

Alter, secundae classis civis CAROL. GUST. KOEGEL Gorlic., beneficii particeps Gersdorffiani, dicet: *Quid judicandum sit de eo, quod nonnulli praecipiant: hoc te intendere oportet maxime, ne cui alteri odiosus sis.* Uterque igitur vernaculo sermone verba faciet, alter: „*Inwiefern schützt fleissiges Studiren die Jugend vor Verirrungen und Gefahren?*“ — alter: „*Was ist von dem Grundsatz zu halten: Man muss es mit keinem Menschen verderben?*“

His orationibus habendis, ut benevole adesse velitis, Vos Patroni Gymnasii Fautoresque, valde exoptamus.



Piorum illorum hominum memoriam, qui, pecunia sua legata nostrorum opitulati discipulorum inopiae, de Gymnasio bene meruerunt concelebrandam rite indicendi, et si qui nos audire vellent die indicto, Patroni Fautoresque Gymnasii, qua par est observantia humanissime invitandi, quum mihi injunctum esset munus, opportune fieri putabam, si hoc libello praemisso, quae in schola tractavissem in eodem paucis nunc commentarer, caetera, quae de universae pietatis notione in Platonis libris continerentur expositurus verbis in ipsa memoriae celebratione a me faciundis.

Namque Platonis librum, quum in schola nuper legerem, in quo libro Euthyphronem vatem, quum ultra vulgarem superstitionem iste non saperet, dialecticae artis ope eo inducere conatur Socrates, ut inter ipsos conveniat de religione et erga deos pietate, quid statuendum sit, quid igitur sit *δίκαιον* h. e. pium, sanctum, vel quae sit pietatis recta notio quibusve finibus circumscribenda, commode futurum intelligebam, si qua de re cum Euthyphrone Plato Socratem facit colloquentem, alia opportunitate data paucis comprehenderem, et quae tunc tractassem in conspectum quodammodo reducerem. Faciam igitur nunc ut potero, quum aliquam adeo excusationem, qua bona cum venia utar, cur neque novi quidquam, nec unde doctis quoque aliquis acquiri fructus posset, attulerim, inde me habiturum sperem, quod non tam eruditis prodesse quam tironibus, istis quidem, qui degustare vellent Platonicae philosophiae primitias informandis, operam navare instituerim. —

Euthyphronem igitur ad id genus librorum pertinere, quos ea aetate scriberet Plato, qua Socratis doctrina frueretur, aut quos non ita multo post obitum ejus ederet, plerisque doctis viris, qui quidem eam rem exploraverint, probabile videtur.*) Socratem vero, quum de aliis virtutibus disse-

*) Nam, ut in prolegomenis ad Euthyphronem Stallbaumius exposuit, universa disserendi ratio, quae in Euthyphrone dominatur, ipsumque libri argumentum ejusmodi est, ut Platoni Socratico conveniat, eidem autem ut philosopho, sui juris quasi facto, tribui nullo modo possit. Sumit igitur sermonem hunc scriptum esse eo tempore, quo nomen Socratis apud magistratum haud pridem delatum erat, ea in re auctoritatem sequutus Schleiermacheri, Socheri atque Schierenbergii, qui de ea re scribit in programme scholastico. Lemgovii. a. 1850.

reret, tum de pietate disputare solitum a Xenophonte traditum est, qui Memorabilium libro I. cap. 4. scribit, eum hoc inprimis quaesivisse, quid esset in quo pietas et impietas cerneretur. Nec adeo mirum videri debet, quod etiam Plato, qui tum eandem sententiam animo amplexabatur, ab eadem re profectus, simili modo de sapientia, de virtute, de justitia, de fortitudine, denique de pietate in libris commentari solet.

Videtur autem Euthyphronis ei persona idonea fuisse, quae ostenderet, ne illos quidem Atheniensium, qui rerum divinarum prae caeteris gnari ipsis viderentur, quidquam de pietatis rationibus percepisse, velut hic vates tam prope abest ab impietate ut pie facere sibi videretur, quum seni eidemque patri actionem caedis intendere vellet, quod hominem mercenarium, interfectorem servi ex familia, fame ac frigore vinculis colligatum perire siverit, donec sacrorum interpretem percontaretur. Quam rem nunc filius expiandi causa ad regem archontem deferendam iudicabat, quum inani deorum metu quodam (*δεισιδαιμονία*), ut plerique Atheniensium, superstitione teneretur, quum idem non reputaret, nec sine piaculo quodam scindi sanctissimas necessitudines. Talem errorem videbat Socrates ex eo nasci in hoc homine, quod, quid pietatis *ὄντα* esset, non cerneret, quae tamen cum aequitate, justitia, honestate arctissime conjuncta esset. Etenim plerosque caeco impetu pravisque de deorum natura opinionibus ferri, et hac ratione fieri potuisse, ut superstitione potius quam pietas subesset eorum actionibus. Nec vero dubium est, quin, quum ex Euthyphrone sciscitaretur, de pietatis natura, hoc Socrates potissimum intenderet, ut ad rectam rationem illum perduceret, quae tamen, quum immanitate supergressus sis omnem humanitatem, quumque eam quodammodo exueris, persistere diutius nullo pacto potest, qua quidem sublata pro pietate animum tenebit superstitione, qui vero *error insanus est, nam amandos timet, quos colit violat*, ut ait Seneca ep. 125. fin. *)

Quod autem Meleti fecit mentionem, quum is impietatis detulerit So-

*) Superstitionem veteres, quicumque eam a religione discreverunt, omnem dixerunt religionem praeposteram vel perversam, quam sectantes id quasi supergressi sunt sive excesserunt, quod vel mores civitatis, vel ratio recta et natura ipsa, vel denique leges certae publicae auctoritate sancitae fieri jusserunt, ita ut superstitione haberetur quaevis religionis forma ideneis rationibus destituta. Quae rationes, quum veterum pietas potissimum quaereretur in auctoritate et moribus majorum, quippe qui deorum familiari commercio gavisii essent, superstitione habita est, religio pietasve nova et peregrina vel nimia seu immodica, vel denique vana et prava. Haec Hahnus, rerum ecclesiasticarum Silesiae suum Evangelicorum episcopus, in libello dedicatorio quodam eximio: *de superstitionis natura ex sententia Patrum eccl. praeae*. [Vratisl. 1854 edito.]

cratem, plebis Atheniensium ut captaret gratiam, multis de tempore, quo hic liber scriptus esse videatur scrupulos iniecit. Sic enim ratiocinantur: Socratem neglectae pietatis erga deos a Meleto delatum stulte facturum fuisse, quum, quae vulgo ferrentur de ejus natura opiniones, in dubium vocasset, ac postremo nihil aliud quam inane captasset, quum se ob eam ipsam causam delatum videret. Ut ut est, aliquamdiu saltem licebit de eo nobis dubitare, an revera Socrates, explosis de pietate rationibus, religionis auctoritatem neglexerit, donec breviter de dialogi argumento, quale sit, quidve spectet denuo quaesitum fuerit. Argumentum vero hoc est:

Inducitur Socrates cum Euthyphrone colloquens. Miratur hic, quid sit, quod vir innocentissimus versetur in porticu regia, ubi rex sacrorum de crimine caedis et impietatis cognoscere solebat. Cui ostendit Socrates se a Meleto quodam crimine impietatis esse postulatum; vates contra, se velle parenti caedis actionem intendere. Quibus auditis Socrates interrogat Euthyphronem, num pietatis et impietatis rationes omnes adeo diligenter exploratas habeat, ut ipsi nulla hac in re fraus metuenda sit. Quod postquam ille affirmavit, Socrates rogat hominem, ut sibi quoque consulat, itaque ab eo petit, ut, quae sit natura et vis pietatis ipsum edoceat. Respondet Euthyphro pietatem in eo ipso cerni, quod nunc facturum sit, ut quis injuste facientes, quicumque demum sint, in iudicium rapiat. Quibus in verbis quum Socrates universae pietatis notionem desideret, ille pietatem dicit contineri in iis quae diis cara sint. Quod quum *πίθος* potius quam *ὀδύνη* pate facere, Socrates respondisset, ille indignabundus interrogat, num qua dialectica Socratis arte quaecunque pietatis tollatur notio et positio? Socrates tum instituit genus virtutis indagare, sub quod pietas, tamquam pars aliqua atque forma, subjecta sit. Censet autem pietatem esse partem justitiae quandam, cui deinde Euthyphro ipse hoc addit, pietatem et sanctitatem eam esse justitiae partem, quae ad curam deorum pertineat. Quam deorum curam, quum definiendam Socrates censeat, ille in eo esse dicit, ut quispiam diis sacrificando et precando gratum faciat. Dona autem diis praestanda spectare ad honorem et venerationem deorum, omninoque ad ea, quae antea iis grata esse iudicaverit. — Quae sententia, quantopere Platoni displicuerit, locus ille de Legib. X. p. 905. D. sqq. luculenter testatur. — Sed caute ac prudenter, missa hujus rei quaestione, Euthyphronem ad ea quae supra dicta essent, revocat, deos inter se ipsos de iis quae sibi cara sint, dubitare. Ne igitur disputantes in gyrum recedant, in medio relinquitur quaestio.

Postquam igitur de argumento libri expositum est, sequitur, ut de ejusdem

proposito explicandum sit, quum etiam viris doctis hoc dubium sit, quid Plato hac sua scriptione maxime spectaverit. Neque vero dubium videtur, quin duo potissimum momenta spectanda sint, si, quid de hac quaestione proposuerit, cognitum perspectumque habere velit. Primum, ut ita dicam, negativum est, quum perversam nonnullorum pietatem, qualis Euthyphronis etiam fuisse videtur, impugnet, qui caeco aliquo errore correpti et vulgaribus opinionibus abducti, quin cognitae perspectasque habuerint veras sententias, de vi ac natura pietatis, nihil quidquam perpensi habeant: alterum est, ut ita dicam, positivum, quum de totius disputationis fundamento et capite sit quaestio.

Quod autem formam attinet dialogi, nec hujus tantum, sed caeterorum quoque dialogorum, tironibus inprimis hoc fortasse notandum erit, hunc potissimum philosophum, formam et scenam cum argumento tam arcte connexas habere quam alium praeter eum neminem.

Itaque, qui scenam dialogi tantum ornatus causa compositam arbitretur, ut non eadem simul inserviat universo libri consilio, vel universae disputandi rationi totique quaestioni, iniquus facile Platonis iudex esse possit. Velut etiam hic in Euthyphrone exploranda erit, cum consilii ratione, rerum etiam temporumque ac personarum tota conditio, quum de totius sermonis fundamento ac proposito quaestio erit, simili ratione, ut praecipit in alio dicendi genere Quintilianus (Institut. III. 8.), qui scribit: Tria sunt in suadendo et desuadendo spectanda: quid sit, de quo deliberetur: qui sint, qui deliberent: qui sit, qui suadeat.

Quodsi igitur perpendimus, quid sit, quod hoc loco in controversiam venerit, quidve in hac efficere quaestione ille voluerit, quam dialectica ratione institueret, hoc nobis ut intelligamus fortasse continget, non tam ambigue relictam esse verae pietatis notionem. Tota enim, quum instituat ab eo, num pie faciat Euthyphro, quod patrem accusare velit, quaestio, quatuor quodammodo subsumenda est partibus, quae in uno quasi fundamento constituendae sunt. Primum statui videtur, pium idem esse, quod fas sit, deinde quod justum, quo pertineat aequum h. e. inter deos hominesque aequa lance quasi pensitandum, diis hominibusque carum, quae tria denique subjici poterunt honestati. Nam si, quod Euthyphro de patre constituerit utrum pie fiat an non, alia ratione discerni nequit, nisi recedit eodem quaestio, unde institutam videmus, num, quod faciat, diis carum sit, his verbis denique comprehendenda est quaestio, utrum honestum sit nec ne, totaque quaestio perducitur ad honestatem. Non dubium est igitur, quin ea vera sit Platonis sententia, omnem pietatem complecti

honestatem (*δικαιοσύνην*). Quam quidem sententiam, quum in caeteris, tum maxime in illis de republica libris exposuerit, cur hoc libello ad exitum perducere non potuerit, ex iis quae supra de tempore locoque disputationis commemoravi, volebam indicari. Quod ut plane perspiciatur, quaestio hac ratione instituenda erit.

Tota igitur quaestio in duas partes disponenda est. Prima est, utrum, quod diis carum Euthyphro dixerit, idem etiam sit pium, deinde an cognosci possit, quid sit, quod diis carum sit. Hoc negatur. Nam utrum aliquid diis carum sit nec ne, nonnunquam dubium esse possit, quoniam ipsi dii de summis rebus inter se credantur dissidere, quare saepe fieri possit, ut, quod ab altero deorum probetur, invisum sit alteri, ita ut non semper, quod omnibus carum sit, inveniri possit.

Alteram deinde subnectit quaestionem Socrates: An pium idem esse possit, quod justum: non dubium enim hoc esse, quin diis semper carum sit, quod sit justum. At de eo, utrum aliquid justum sit nec ne, inter deos ipsos saepissime disceptatum esse, nunquam tamen de eo disceptationem fieri potuisse, an qui contra fas jusque peccaverit puniendus sit. Deinde, quum de dialectica partitione sermo sit, quaeritur, utrum, quum pium etiam aequi pars esse debeat (vide Ciceronem, de N. D. I. 2. qui scribit: Aequitas tripartita esse dicitur — pietas, sanctitas, religio, quae omnia pure et caste deorum numini tribuenda sunt) deorum hominumque in ea re aequa sit conditio, an quod diis conveniens sit, idem semper sit hominibus, ut etiam inter homines jus fasque et aequum, haec tria, inter se conjuncta sint. Nam si pium non idem esset quod aequum, ne commercium quidem pium et aequum esse posset deorum cum hominibus, quum dii ab hominibus nihil accipere possent, quod aequum aequo sive par pari referret. Iniquitatem autem esse non posse pietatem, nec eam diis caram esse posse. Ministeria autem diis, sacrificiis, donis, precibus et omni veneratione praestanda, num diis cara et accepta esse possint, de eo nunc quaeri non posse, ait Socrates. Certam autem spem esse, fore, ut aequum, justum, honestum diis sit carum. Quum igitur, quid sit, quod diis carum sit, quaeratur, hoc semper esse spectandum, utrum aliquid sit honestum, nec ne. Jam in aliud tempus differendam quaestionem judicat Euthyphro.


Non dubium est, quin hac disputatione hoc significare voluerit Plato: a deorum cognitione omnem de pietate pendere quaestionem, quod idem ait Cicero, quem Platonicae philosophiae in primis deditum fuisse scimus: „*Ex cognitione deorum oritur pietas, cui conjuncta justitia est, reliquaeque virtutes.*“ (De Nat. d. II. 64.) Quum autem deorum cognitio tanto propius accedat

ad veritatem, quanto propior sit humanitatis rationi eique quod de nobis ipsis pie vereque cognoverimus, et quanto magis humana natura aequi, justi, honesti ideis conveniat, quum de pietate quaestio sit, tanto magis de caeteris etiam notionibus, quae inter se conjunctae esse debeant, simul quaestionem esse instituendam docet, nisi omnem frustra in circulum vergere disputationem, et eo redire velimus unde exierit, de eo quod diis carum sit. — Quam humanae naturae cognitionem quum Euthyphro neglexerit, non mirum videri potest, quod de diis etiam male cognoverit. Quin adeo iste pietatem erga Deos colere sibi videtur, dum erga parentem quae debentur negligit, nec eo ipso se peccare etiam in Deos recte intelligit. Socrati autem, quum optimam cum Diis conjunctionem nobis esse persuasum sit, si colamus justitiam, aequitatem, honestatem, quae de sacrificiis donisque diis praestandis judicet Euthyphro, minoris momenti esse e verbis ipsius perspicuum est. Nam si ipsi honestatem colimus, „*honestam etiam nostram erit* (ut ait idem Cicero) *de numine deorum ac mente opinio.*“ [pro Dom. c. 44. § 107.]

Quodsi quaerimus, cur hanc quaestionem in hoc dialogo ille non absolverit, eorum meminisse fas est, quae supra de temporum ratione dicta sunt. Addendum est illud, quod idem, qui saepius citatur, de Platonica philosophandi ratione, commemorat Tullius Acad. quaestio. I. 12: „*in Platonis scriptis nihil affirmatur, in utramque partem multa discernuntur, de omnibus quaeritur, nihil certi dicitur,*“ quae potissimum de hoc nostro dialogo valet ratio, in quo dialecticae artis initia constituere videtur Plato.

Nos autem, si ex hoc libro, sententiam ferre vellemus, omnino nihil certi, nec quod extra omnem dubitationem constitui posset, de pietate dixisse Platonem, iniqui ejus essemus iudices. Pleni sunt ejus libri gravissimis religionis, pietatis, sanctitatis testimoniis, ut non solum de illa paganorum pietate, quae haud multum abesset a superstitione, sed de ea etiam, quae Christianis conveniret, a sanctissimis nostrae ecclesiae patribus, a Justino, Athenagora, Clemente Alexandrino, Augustino, Anselmo Cantabrigensi aliis multis, neminem sanctius, honestius, praeclarius judicasse hoc divino Platone, constitutum sit.

Quae, quum nunc ipsi facile cognoscere possitis, qui Phaedonem mecum legitis, juvenes carissimi, equidem, quum paucis verbis exponere oratione mea habenda proposuissem, in hac descriptione, quae de Euthyphrone dicta essent, deque pietatis quaestione, existimabam sufficere.



ad veritatem, quanto
 ipsis pie vereque cog
 honesti ideis conveni
 etiam notionibus, quae
 instituendam docet,
 et eo redire velimus
 humanae naturae co
 videri potest, quod
 erga Deos colere sibi
 eo ipso se peccare eti
 cum Diis conjunctio
 aequitatem, honestat
 Euthyphro, minoris
 ipsi honestatem col
numine deorum ac m

Quodsi quaerim
 eorum meminisse f
 Addendum est illud
 sophandi ratione, e
scriptis nihil affirma
quaeritur, nihil certu
 ratio, in quo dialec

Nos autem, si e
 nec quod extra om
 tonem, iniqui ejus
 gionis, pietatis, sa
 pietate, quae haud
 Christianis conveni
 Athenagora, Cleme
 multis, neminem sa
 constitutum sit.

Quae, quum
 mecum legitis, juv
 oratiuncula mea h
 thyphrone dicta es

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN Gray Scale



quod de nobis
 tura aequi, justi,
 magis de caeteris
 quaestionem esse
 e disputationem,
 um sit. — Quam
 rit, non mirum
 deo iste pietatem
 antur negligit, nec
 a, quum optimam
 olamus justitiam,
 raestandis judicet
 um est. Nam si
 idem Cicero) *de*

lle non absolverit,
 tione dicta sunt.
 e Platonica philo
 12: „in Platonis
 mtur, de omnibus
 stro dialogo valet
 ato.

omnino nihil certi,
 pietate dixisse Pla
 i gravissimis reli
 e illa paganorum
 le ea etiam, quae
 tribus, a Justino,
 Cantabrigensi aliis
 noc divino Platone,

qui Phaedonem
 verbis exponere
 ne, quae de Eu
 nabam sufficere.